Haec, haec amplissima illa sunt spolia: quae Triumfator noster, CHRISTUS in victoria sua hostibus Regni Sui hostibus detraxit: nobisq; [illegible] restituit.

Comparatio cum dona Exagg.

Magna alias et ampla civibus ac militibus, post felicem hostium debellationem, distribui solent dona ac bona; iis praecipuè; qui pro ca[illegible] in bello res suas strenuè gesserunt: ut amor ipsorum subditorum sibi devin[ci]ant Imperatores.

Ho verò quàm fluxa illa sunt dona, quàm caduca sunt bona!

Facilis est illorum jactura: quum CHRISTI contra ea dona tam opima, tam praeclara, tam durabilia ac firma sint: ut non solùm [illegible] humanae sortis miserias quàm longissimè fugent; sed et ad illa verè aeter[nae] haereditatis caelestis bona ea ipse possidenda plurimùm promovea[nt].

At tam caeca tn. humana est ratio: ut deserto hoc Rege, ad mund[um] et Diabolum deficiat: ut, pro augustissimo illo Majestatis divi[nae] fastigio, caliginosissimum Satanae sortendi ergastulum eligat.

Exclamatio.

O perversum perversae rabie humanae genium!

O coecitatem salsis deplorandam lacrumis!

O si sanioris rationis oculos usurparent homines!

Certè n. sic ipsi animae suae saluti melius prospicerent: neq tand. cum irreparabili suo damno haereditate Regni illius periclitarentur.

Transitio.

Sed quò me provexit prolixa haec de Regni Dominici Constitutione [di]serendi cupido?

Quò et me abduxerunt latiora, quibus pressius mihi erant insistendum vestigia?

Abrumpo igr prius tela mea, quam pertexendam mihi proposui, filo et ad posteriori, sed breviori ductu ducendum, pergo.

Membr. II.

Deproepero nimir. ad alterum illud Orat. meae membrum: quod Regni CHRISTI Administrationem, brevi filo ac stylo delineatam, Vo[bis] A. Gr. exhibebit.

de Gloriosi Regni Domin. administratione.

Duo in regni cujuslibet administratione potissimum Regi incumbere, docent [Politi]corum Filii.

Incumbit nimir. ipsi: ut nunc gubernet subditos, nunc hostes reprimat.

Utrumq hoc in gloriosi Regni sui administratione praestat CHRISTUS: dum subditos suos sapientissimè gubernat: dum hostes fortissimè reprimit.

ratione 1. gubernationis — a) legalis, per Legem. Comparatio cum .

Prius illud per jus verè Regium, quod Politici legem regiam vocant, per legem nimp. et Evangelium, facit.

Lex v. haec longè sanctior est: quàm ut cum decantatissimis illis Athenien[sium] legislatorum legibus comparetur.

Efferant igr vetustatis laude illustres Athenienses leges suas: quas D[ra]coni, quas Soloni debebant.

Multis praeconiis Leges suas Lacones ornent: quas ipsis Lycurgus [tule]rat: quas tulerat, inquam, Lycurgus: quo, teste Valerio Mxo, majorem aut utiliorem Lacedaemon genuit neminem: qui et ob leges salu[ta]

riter